

- A** **B** **O****B****T****I****N****E****N****D****U****S** est, qui actu existit, cum autem non in possessionem venerit, agenti est propositus, ut acquiratur. Quomodo qui alicubi jam existit ager, sed Titii non est proprius, Titio ementi tanquam finis est propositus, ut æquò pretiò emtus in possessionem ipsius cedat.
- C****O****N****S****E****R****V****A****N****D****U****S** est, qui acquisitus aut in subiectum introductus est; cum tamen denuò amitti possit, agenti est propositus, ut per idonea media conservetur. Sicut qui recuperavit sanitatem, deinceps non alià fini utitur medicamentis, quàm ut eam inviolatam conservet.
- F****O****R****M****A****L****I****S**, & est qualibet circa objectum operatio, cuius gratià aliquid fit aut fit.
5. Alius est vel **O****B****J****E****C****T****I****V****U****S**, & est ipsum huiusmodi operationis objectum. Ita hominis Christiani ac fidelis ultimus finis, tum DEUS est, tum visio beatifica; sed DEUS est finis objectivus hoc ipso, quod est objectum visionis beatificæ: at visio beatifica est finis formalis.
6. Alius est vel **I****N****T****E****R****N****U****S**, qui nempe in potestate artis vel artificis est; puta, ut per artem & ex artis præscripto, positis aliis quoque requisitis, quoties opus est, effici possit. Sicut qui artificium scribendi callet, si atramentò chartà & calamo manusque ministeriò sit instructus, quoties lubet, scripturam conficit.
- E****X****T****E****R****N****U****S**, qui non est in potestate artis vel artificis; ita videlicet, ut vel plarè non per eam artem, vel non quoties opus est, effici possit. Ut *persuasio* respectu Oratoria; *Sanitas* respectu Medicina.
7. Alius est vel **G****E****N****E****R****A****L****I****S**, ut finis generalis Ethicæ est *εὐδαιμονία*, specialis beatitudo civilis, quæ sub illâ, ut species sub genere comprehenditur. Et finis generalis Architectonicæ est *κτίσις*, sed specialis ædificatio.
- S****P****E****C****I****A****L****I****S**, ut ædificatio respectu artis Architectonicæ. Differunt ut Genus & Species.
8. Alius est vel **N****A****T****U****R****A****L****I****S**, ad quem aliquid ex natura sua ordinatur. Et huiusmodi est, cuius gratià res tota facta est & existit; sicut terra sectionis, calamus scriptionis, ars frenifactoria efficiendæ freni, medicina sanitatis gratià est vel fit.
- A****R****B****I****T****R****A****R****I****U****S**, ad quem aliquid ex intentione agentis ordinatur, cum illius gratià non fit factum aut existat. Sicut lapis non est factus aut existit clavi in parietem adigendi causa; aliquando tamen ex intentione hominis clavum in parietem figere volentis, ad istum finem usumque adhibetur, idque planè per accidens.
9. Alius est vel **P****R****I****N****C****I****P****A****L****I****S**, cuius gratià aliquis ageret, etiamsi nullum alium finem intenderet.
- M****I****N****U****S** **P****R****I****N****C****I****P****A****L****I****S**, cuius gratià aliquis non ageret, nisi alium finem unà sibi propositum haberet. Ita Bibliopolæ Francofurtum proficiscenti duo fines possunt esse propositi; primum ut libros ibi emat vel vendat; deinde ut amicum veterem vel filium ibi degentem invisat. Quorum ille finis principalis, hic minus principalis est.
- A****B****S****O****L****U****T****E** ultimus, cuius gratià in universum omnia sunt, ipse autem prorsus nullius alterius gratià, ut DEUS.
10. Alius est vel **U****L****T****I****M****U****S**, quò obtentò vel acquisitò acquiescimus, nec ad alium finem tendimus. Estque vel **S****E****C****U****N****D****U****M** **Q****U****I****D**, scilicet in eodem rerum genere, ut *sanitas* in serie rerum ad Medicinam pertinentium, *beatitudo* in genere rerum & actionum moralium in vitâ civili.
- F****I****N****I****S** **I****N****T****E****R****M****E****D****I****U****S** est, quò obtentò sive acquisitò non acquiescimus, sed ad alium finem tendimus, sive in certò rerum genere, ut cum in genere morum, virtute acquisitâ, non sumus otiosi, sed ex illâ operamur felicitatis causa. Sive *absolutè*, ut cum sanitatem ad DEI gloriam referimus, non obstante, quod *sanitas* sit finis ultimus *secundum quid*, scilicet in genere rerum medicinalium.

ANNOTATA.

(α.) Finis sumitur bifariam (1.) pro *extremò* s. *ultimò* alicujus rei, extra quod nihil eius reperitur & vocari solet *finis terminationis*, quia rem terminat, estque interdum *positivus*, ut limes agri finis est; interdum *privativus*, quomodo mors Rom. 6. finis dicitur operum impudicitie atque injustitie. Ubi mens Apostoli est, quod ultimum in operibus injustitie & impudicitie sit mors. (2.) pro *causâ finali*, cuius gratia aliquid est vel fit & vocatur *finis motionis*, quomodo *sanitas* est causa deambulationis. H. l. sumitur in significato posteriori.

(β.) De ratione causandi (per quam intelligimus id, quò causa in actu primò constituitur) notandum, quod illa sicut in efficiente, ita quoque in causâ finali distincta sit à causalitate. Namque sicut ratio causandi in causâ efficiente est ipsa potentia agendi in actu primò, causalitas verò actio vel ipse influxus in actu secundò: Ita etiam in causâ finali aliud est vis ad movendum seu excitandum efficiens ad media eli-

genda in actu primò; aliud verò ipse influxus s. *motio*, quâ actu secundò movet. Est autem illa vis movendi nihil aliud quàm bonum cognitum & quidem sub ratione boni, quod ex eò probari potest, quia nempe causa finalis non influit nisi alliciendo & movendo voluntatem, & nihil allicit ad se voluntatem, nisi quâ bonum juxta illud 1. Ethic. cap. 1. *Bonum est quod omnia appetunt*. Ut igitur bonitas est ratio movendi voluntatem, (siquidem voluntas nostra non potest ferri in aliquid nisi sub ratione boni; *Nemo enim intendens ad mala operatur*.) ita quoque eadem bonitas est ratio causandi in causa finali.

§. Dicitur fuit notanter bonum *cognitum*: etsi enim bonum una & sufficiens ratio est, per quam aliquid aptum sit, ut possit adpetitum allicere, tamen quia aliquid actu finis causalitatem exercere nequit, nisi sit cognitum, utut aliàs in sese sit bonum, ideò *cognitio* ad rationem causandi & causalitatem finis requiritur tanquam *conditio aliqua sine quâ non*, aut tanquam